

David.

Centuria
ad ostendend
rum.

18

Argentorati
1623.

In
Strassburg.
J.
1623

L. G.

569 53
CENTURIA
QUÆSTIONUM
CRIMINALIUM:

(48)

Quam

Divina fayente gratia:

Præside

Clarissimo ac Consultissimo viro,

DN. GEORGIO-DAVIDE
LOCAMERO J. U. D. ET IN ALMA
ARGENTINENSISM ACADEMIA PROFES-
sore ordinario, Præceptore suo, summâ & per-
petuâ observantiâ co-
lendo:

Ad diem Ianuar.

Publicæ censuræ in Auditorio Jurisconsul-
torum subjicit

THOMAS Blümberg / BARTPHEN-
sis Pannonius.



ARGENTORATI,

EX CUDEBAT PAULUS LEDERTZ.
ANNO M. DC. XXIII.

Franz Strasburg

.. T. 1623.

PRUDENTIA, SIN-
GULARI VITÆ INTE-
GRITATE, MULTO RERUM, VIRTUTUM-
QUE Usu, Et EXPERTENTIA PRÆ-
stantissimis Viris :

Dn. THOMÆ Blümberg / Judici Bartphensi gravissimo:

Dn. CAROLO Stör / Cereali apud Argentinenes mer-
tissimo:

Dn. GEORGIO Blümberg / Tribuno - plebis Bartphen.
spectatissimo:

Dnn. Patruo, Fautor, Parentiq, suavissimo, cum debitâ hono-
ris prefatione, salutem ac felicissimum novi huius anni auspi-
cium p.

E Aud obsecram vobis esse reor, Prudentissimi, Spectatissimi,
Integerrimiq, viri, Imperatoris Germanorum FERDI-
NANDI I, symbolicam vocem : FIAT JUSTITIA
AUT PEREAT MUNDUS. Et MAXIMILIANE
I. Cesari salutationem, loca ad supplicia sonum desti-
nata, pratreuntia, venerabilem: SALVE JUSTITIA. Quibus in-
nuere, absque Iustitia nil solidum esse, nullam hominum societatem sub-
sistere, nullam Remp. in columem permanere, nulla deniq, jura sine ea vi-
gere posse. Id ipsum quoque legatus Atheniensis, Spartâ reversus confir-
mavit, qui cum à Senatu interrogaretur: Quomodo Spartani Remp.
suam administrarent? Funem, furcam; gladium, in curiam secum at-
tulit, & ijs monstratis; in huic positam esse salutem Civitatis, hasce leges
Spartanorum esse, dixit. Hinc varijs, virtutum princeps Justitia, nomi-
nibus insignitur. Etenim Rerum pub. anima, norma, ficerumq, Civita-
tum, condarum legum regula, tutamq, patria, pax, immunitates, mun-
imentum, gaudium plebis; serenitas maris, terra, facunditas; solarium
pauperum appellatur. Quapropter nec sine causa bisrons pingitur, alte-



ta parte oculata, altera fasciolâ obvincta, dextrâ distillatum gladium vi-
brans, sinistrâ expendens bilancem: quia in causarum processibus decet ille
lius administratores, id est, Judices, ab omni odio grassatione, favoris u-
surpatione, malorum metu, premiorum expectatione alienos esse; & bi-
fancē in manib. fortiter tenere, stateram aquo perpendere libramine, of-
ficiū sui, imò divina potius voluntati, non oblivisci, aequitatis virgam
nusquam non rectam gestare: considerare quid liveat secundum aequita-
tem, quid deceat secundum honestatem, & quid expediatur secundum u-
tilitatem: in reos nullo modo excandescere, sed leniter exemplo Alexan-
dri M. utramque partem audire; & ut multa paucis complectar, ita jus
reddere, ut Divine & Humana Majestati placere valeant. Quin & Ra-
tionalium Curiae, memoria stabili, teneant inscriptionem, qua talis:
Quisquis Senator curiam officii causa ingrederis, ante hoc ostium
privatos affectus omnes abjicio; iram, vim, odium, amicitiam, adu-
lationem: Reipub. personam & curam subjicio. Nam ut aliis æ-
quus aut iniquus fueris: ita quoque D e i judicium expectabis &
sustinebis. Et illud Trajanī, qui cu[m] suum praefectum ense circumdatu-
rus esset, nudum ei porrexit: Cape hunc, inquiens, & si bene impera-
vero, pro me; sin malè adversus me hoc utere. Dum autem Justitia
sam egregijs elogijis à gravissimis scriptoribus decantata & commenda-
ta, vires suas at q[uod] munus pricipue in criminalibus actibus & publicis ju-
dicis exerat ideoq[ue] opera pretiam me facturum arbitratus sum, si mate-
riam hanc Criminalem, ex iure utroque & Doctoribus collectam &
excerptam, publica ventila[ti]oni submitterem. Cur autem hasce juris
primitias, vestris nominibus sacras esse voluerim, causas habui graves.
Nam vos, viri Prudentissimi, Spectatissimique, hactenus publica Iustitia
ac Iudiciorum tam Civilium, quam Criminalium cultores & admini-
stratores fuistis, semperque permansi[stis] estis; & quum ab iniquo, licitum
ab illico separastis, bonos premijs, & malos p[ro]nijs afficere studiastis; nec
id, quod utilitas affectabat privata, privato affectu trutinastis. Postula-
bat insuper innumerabilia vestra in me cumulatissime collata beneficia,
ut, quia parem gratiam reponere non possum, levi saltē indicio debitā
observantiam, & gratum animum testarū facere, & prout temporis pre-
sentis, sanè exulceratissimi, exiget ratio, munusculū aliquod chartace-

am Strenx & pii voti loco offerrem. Quod ut hilari fronte, benevolo-
que animo accipere, meque vobis, ut nunc, ita & in posterum commen-
datum habere, atque in tutelam vestram recipere dignemini : Id ipsum
est, quod obnixè contendeo. Deum Ter. Opt. Max. ex animo rogans, ut vos
ad incrementum Ecclesiae, & salutem Reipub. diutissimè superstites, sal-
vos, & incolumes, multos in annos paternè ac clementer servet, ac tuea-
tur. Argentina 2. Januarij. Anno ab orbe redempto M.DC.XXIII.

V. Prud. Spec. atque Integ.

obsequentijsimus studiosis, &
observantiss.

THOMAS Blumberg/Author & R,

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An crimen læsæ Majestatis propriè & principaliter in solum Principem committatur?

I.
De Crimi
ne læsa
Majesta
tis.

Affirmativam nobis suppedant sententiam l. i. §. 1. ff. ad legem Iuliam Majestatis junct. l. i. ff. de constit. princ. add. l. quisquis s. C. ad leg. Iul. Maj.

II. An crimen læsæ Majestatis committant adulteratores, circumcisores, fusores, & tinctores bonarum falsarumve monetarum?

Quia hi omnes faciunt id, quod in derogationem Majestatis verbit: ideo crimen læsa Majestatis eos committere concludimus. l. 2. C. de fals. monet. L. quicunque 8. ff. ad leg. Corn. de falsis l. i. C. de veter. numism. pot.

III. An Crimen læsæ Majestatis incurrat, qui Patriam vel prodit, aut oppugnat?

Casus lib. 3. Spec. moral. c. 10. tradit duplitem proditionem; unam Intrinsecam, de qua sic scribit: Patria non defenditur, si hostes exteni à muro depellantur, proditores vero intra mœnia remaneant: Alteram Extrinsecam, qua est socia oppugnationis. Vtramque vero cum crimen læsa Majestatis conjunctam esse, videre est ex l. fallaciter 3. in fin. C. de abolit.

IV. Rebellionem & conspirationem ineuntes, num criminis læsæ Maj. sint obnoxii?

Qui resistit, inquit Farinacius lib. 4. de Crim. læs. Maj. t. 13. is rellat: Nam rebellare nihil aliud est, quam resistere, secundum Bart. in extravag. Et rebellionis crimen committit is, qui contra Imperatoris honorem, & fidelitatem, opera facit rebellionis, in ejusque imperij prosperitatem aliquid machinatur, ac sic rebellando dicitur rebellis. Ideo- que jure hujus criminis reus reputatur. arg. l. 1. ff. ad leg. Iul. Maj. Eadem ratio, de conspiratione.

V. An asseditus in hoc crimine, etiam non secuto effectu sit puniendus?

Affirmat Iason in l. I. §. fin. ff. quod quisque jur. dum rult, quod conatus non puniatur nisi in Crimine læsa Majestatis, & Patrie expugnata: ubi propter exemplum conatus pro facto habetur. I. quisquis s. C. ad leg. Iul. Majest. l. Divus 14. ff. ad leg. Corn. de Sicar. Geil. lib. I. c. 14. n. 12. de pace publica.

VI. Privatos carceres faciens, an huius Criminis reus dicatur?

Quisquis privatos carceres, citra Principis auctoritatem patet, in Crimen læsa Majestat. incidit. arg. I. unica. C. de privat. carcer.

VII. An ignorantia & metus excusent à dicto Crimine?

Offendens Principem, credens alium esse; vel partem corporis ejus, id est, officiarum, quem ne sciebat ratem esse, excusatur, Decian. in præc. crim. lib. 8. c. 49. n. 13. Conformis quoque excusatio provenit ex metu, cū quis metu coactus, aliquid molitur contra Principem, secundum Cuman. l. I. n. 12. v. id etiam ff. ad leg. Iul. Maj.

VIII. Convicti hoc crimine, num solùm poenâ gladii, aut graviori coercentur?

Criminalia læsa Majestatis morte plecti, chorum universum I. Ctorum astipulari, nihil dubij est; sed quo mortis genere, inter eosdem controvertitur. Gladio, igni, & dissectione in 4. partes, juxta legum, edictorum, & statutorum in locis, ubi commissa sunt, varietatem reos subjugari, vult Damhoud. in præc. rev. criminal. c. 62. n. 6. Ceterum, vos sequimur legem expressam, qua jubet reos gladio feriri. I. quisquis s. C. ad leg. Iul. Maj. Wesenb. in Instit. de pub. judic. n. 5.

IX. Num Crimen læsa Majestatis morte extinguitur?

Ex Bald. conf. G. O. vol. 2. distinguendo responderemus. Quod crimen læsa Majestatis contra summum Principem vel Rempub. Rom. commissum, morte non extinguitur: sed tamen contra alios Principes & civitates

tes commissum, morte extinguitur. l. fin. ff. ad leg. Iul. Maj. Idem tener
gl. in l. meminisse 7. C. eod.

X. Estne aliqua differentia inter Adulterium, Stuprum,
Fornicationem, Incestum, Sodomiam,
& Lenocinium?

II.
De Adul-
terio.

Omnino: Quia Adulterium in nupta; Stuprum vero in virgine-
nem, viduamve committitur. l. inter 6. l. stuprum 34 ff. ad leg. Iul. de a-
dult. Fornicatio cum res venerea exercetur cum mulieribus innuptis, vi-
duis, meretricibus. c. Meretrices 32. 9. 4. Incestus quando, venerea per-
agitur cum consanguineis, & affinibus c. nec eam 35. 9. 1. c. si quis
cum matre 33. 9. 2. Sodomia, est cum naturales leges spernantur & na-
tura membris abutuntur Damhoud. in pract. rev. crim. c. 98. de peccato
contnat. Raptus, quando virgo aut mulier improbe & vi abducitur, vel
vi corruptitur. l. unic. C. de rapt. Lenocinium vero est, quando quis ex
scortationibus, adulterijs, deflorationibus, sibi quosdam facit. l. palam 43.
§. Lenocinium. §. ff. de ritu nupt. l. Athletas 4. §. aut prator 2. ff. de his qui
sunt infam.

XI. An Adulterium gravius sit crimen,
Fornicatione?

Aff. ex distinctione precedentie; Et ut gravius peccat Adulter, quam
Fornicator; sic gravius delinquit, qui nec suā dimissā aliam dicit, eo qui
suam dimittens aliam cognoscit: Gravius quoque qui suam uxorem ha-
beus, ad conjugem proximi sui accedit, quam qui non habens, thorum al-
terius violat, vel uxoratus ad solutam accedit. Damhoud. c. 91.

XII. An Lenocinium gravius sit Adulterio,
& Homicidio?

Aff. Quia est horribile, pessimum ac crudel; ut colligitur ex Ant.
de lenon. Angel. de malefic. Iodoc. c. 91. Quod sit majus homicidio, Foller. in
pr. n. 24. quod sit gravius homicidio. n. 33. & 41. Quod Lenocinium pejor Dia-
bolo. pract. Conrad. rub. d. lenon. n. 1. Ac propterea gravius crimen reputa-
tur; quia Adulteriū in se: Lenocinium in se & aliū peccat, ut voluit gl.
in l. Athletas. 4. §. Pomponius ff. qui not. infam. fac. l. palam 43. §. non est.
ff. de rit. nupt.

XIII. An Lenocinii poena eadem, quæ Adulterii?

Crucis suspendio gl. in §. praconizamus Nov. 14. de lenon. precipit eos.

tan-

et quam fures castitatis, affici. Hodie communis Lenocinij & Adulterij pena ex Dd. consensu statuitur, gladij animadverso. L. mariti. 29. §. plectitur. 2. ff. ad leg. Iul. de adult.

XIV. An maritus sit poenâ afficiendus, uxoris suæ
Adulterium Iudici non de-
ferens?

Disting. inter Adulterium notorium, seu manifestum, & non manifestum. Maritus si certò sciat uxori suæ adulterium non esse in ore & notitia vulgi, tunc id suâ prudentiâ & probitate tueri, & tegere potest, nec ob id puniendum erit l. sine metu 17. C. ad leg. Iul. de adult. Nam cuius à natura recto dictamine institutum, ut suos domesticos, atque ad eum uxoris propriae vitia tueatur & regat, sicuti possit, ac valeat. Secus fit fuerit Adulterium notorium seu manifestum.

XV. An Adulterium maritorum durius sit pu-
niendum, quam uxorum?

Gravissimo esse Adulterium in famâ quam viri nonnulli asserunt, quoniam castitas magis decet mulieres; majusque dedecus familie, domini, totique cognationi per mulieris, quam viri impudicitiam inurit, unde & gravior in muliere, levior in viro, adeoque impar in virisq; poena statuenda videretur. Sed lex divina nos aliter informat. Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 21. Ezech. 28. Daniel. 13. add. can. Si quis Clericus 10. dist. 81. cap. intelleximus 6. de adult. Ideoq; & nos parem in puniendis utriusque sexus adulteris servabimus rationem; non moti etiam mentis & ingenii mulierum imbecillitate de qual. sacrilegij 6. ff. ad leg. Ital. peculat. l. si adulterium 38. §. stuprum 1. fratres 4. §. incestum 7. ff. ad leg. Iul. de adult. c. sicut dignum in pr. extr. de homicid. c. indignantur 32. 9. 6. fac. & l. quisquis 5. §. ad filias C. ad leg. Iul. Majest.

XVI. Vtrum gravius puniendum, Adulterium-
ne an Homicidium?

Vtrumque sanè execrabilis est delictum, & pena mortis obnoxium Gen. 20. Levit. 20. Sed multò peius est Adulterium Homicidio, loquente c. quid in omnibus 32. q. 7. Quia ex eo proficiuntur c. imiatio rionia, ut sunt injuria, homicidia, perjuria, falsa testimonia &c. AZO

in summa C. ad leg. Iul. de adulst. Hinc & Accusatus in l. auxilium 37.
§. 1. sup. verb. atrocioribus. ff. de minor. Quædam, inquit, crimina sunt
atrocia, quædam atrociora, quædam atrociissima, ut Adulterium,
quod tam ægrè fert maritus, ut molestiùs id patiatur, quām pro-
pri filii mortem. l. Lucius 88. §. matre 16. ff. de legat. 2.

XVII. An Adulterii poena debeat esse ca- pitalis?

Olim Adulterij poena fuit relegatio tantum l. si quis s. ff. de que-
stionibus. Hodie capitalis est l. quisquis s. l. quamvis 30. C. ad leg. Iul. de
adult. Novel. 134. c. 10.

VIII. An gravius & atrocius crimen sit Sodo- mia, quām Incestus?

Affirmatur; quia committitur contra natura ordinem, & jure
divino & humano pro maximè detestando habetur. Gen. 17. Auth. ut non
luxur. cont. nat. Nov. 77. ob quod etiam civitates consumpta sunt. Gen.
19. Et licet grave erit Incestus delictū, quod committitur in consanguineos;
tamen hoo gravius censetur; quoniam sit contra naturam, & na-
cure cancellos turpiter abrumpt. Damh. in rer. crim. prax. c. 98. de pec-
cato cont. nat.

XIX. Iudæus cognoscens Christianam carnaliter, num dicatur Sodomiam com- misisse?

Re ipsa multum à Sodomia, cuius factum est alienum, tum neeu-
sum in naturale, nec natura Sodomiticā ullo modo referat; differt. Quan-
quam non desint qui pro vera Sodomia id habendum, & pro ea damnandum
existimant. Damh. c. 98. quia tantum sit rem habere cum Iudea,
quantum cum cane. Boerius, Clarus, Farinacius lib. 5. de delict. carn. l. ne
quis Christianam 6. C. de Iud. c. cave Christiane 28. 9. i. & c. si Si quis Iu-
daica d.c. & q.

XX. An pecus quod Venereum actum cum homi- ne sustinuit, sit puniendum?

Affir. & quidem non ob suum internum commissum peccatum; sed
quod instrumenta ejus fuere socia nefandissimae criminis: Quapropter si

mul cum homine jussu divino Levit. 20. Exod. 22. & c. mulier 15. q. 1. c. 4. eos
§. qui coierit. 23. q. 5. plectitur, & ignis incendio traditur: Indignum enim
est in conjectu hominum versari animal irrationalē, sicut delicti,
ob quod miserā morte periisset homo rationalis.

XXI. Numquid Pater filiam gravidam in adulterio
deprehensam impunè occidere possit?

Negativam defendimus; quia non minus pietatis quam reveren-
tie ratio habenda est ubique. Et quemadmodum non conceditur aliquid
fieri contra reverentiam Patris: sic nec pietatem offendere licet. l. condi-
tiones 9. l. contra edicta 14. filius 15. ff. de condit. inst. Nec filius propter
parentum delictum pœnam aliquam subire debet. l. crimen 26. ff. de
pœn. l. sancimus 22. C. eod. Iā vero partus in utero inclusus pro iam nato
habetur l. qui in utero 7. & 26. ff. de stat. hom. Igitur propter matrem adul-
teram interfici non debet.

XXII. An impunè possit Pater filiam cum mœ-
cho occidere?

Affir. præsertim si eos actū coniunctos, & non separatos repererit
in domo sua, vel generi l. quod ait 23. ff. ad leg. Iul. de adult. ac eam in
potestate habeat. l. sic eveniet 21. ff. eod. Denique ut nupta sit, alias secus
Iodoe. c. 9. 1. de adult.

XXIII. An Patri licitum sit occidere filiam cum Adul-
tero Magistratus officio fungente?

Affir. ex l. marito 24. l. nec in ea 22. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult. gl.
in l. Gracchus. Quando scilicet filia non erat ignobilis, nec Pater turpis
persona. Bart. n. 1. Salic. n. 8. d. l.

XXIV. An & maritus uxorem suam impunè cum
adultero occidere possit?

Post ternam denunciationem, si in domo sua reperiatur adulterum,
licentiam esse marito proprijs manibus talem perimere, nullum peri-
culum ex hoc formidanti, constare potest Aut h. si quis ei. C. ad leg. Iul. de
adult. Nov. 117. c. 15. l. marito 24. ff. eod. Secus non præviā denunciatione.
l. nec in ea 23. §. ult. ff. ad leg. Iul. de adult. c. inter hac. 32. q. 2.

XXV. An

XXV. An Sponso , jura concedant,moechanted cum
sua Sponsa,interimere ?

Cum nihil furore amoris vehementius : quem retinere Philosophia est perfecta Novel. 74. c. 4.ac anima animantis illic potius sit, ubi amat,quam ubi animat,Cato Maj. Ideo indubitate statuimus , propter zeli, & amoris magnitudinem excusari quodammodo sponsum posse, si moechum cum sponsa interficiat arg. l.nec in ea 22. §. ult ff. de adult. Quia nec spem violare matrimonij permititur l.si uxor 13. §. 1. & sponsa pro uxore habetur l.si sponsalibus. 58. de jur. dor. W esenb. in 2. de adult. n. 7.

XXVI. Num Pater possit mandare alteri, ut filiam in adulterio deprehensam occidat; & an casu hoc teneatur Mandatarius ?

Angelus de malefic.procedere posse affirmat: Quando Pater nimis debilis, senex & infirmus est ; Hunc sequitur Carex. in pract. crim. n. 3. de homicid. & assassin. Et Docet homo admettit opinione meam; cum Pater ratione impotentia, ut quia senex vel infirmus proprijs manibus occidere non potest, & post mandata in continentia mandatarius occidit ; se-
sus si aliter.Bella p. in l. Gracchus 4. C.ad leg. Iul. de adult.

XXVII. Num de adulterio pacisci liceat ?

Negatur l.de Crimine 10. C.ad leg. Iul. de adult. etiam post con-
fessiones, quibus pena adulterij capitalis est effeta. Cujac. 20. obs. 19.

XXVIII. An simpliciter omne homicidium
sit prohibitum ?

Neg. Quia hostes & transfugas in bello l. ejusdem 3. §. fin. ff. ad
leg. Cornel. de Sicar. l. proditores. 7. ff. de re milit. c. cum homo 23. q. 5.
Proscriptos seu bannitos ; Turcas, Tartaros, & fidei Christianae
hostes, pro defensione religionis l. i. secund. Bart. C. de pagan. & sacrif. c.
noli 23. q. 1. c. displicet. & c. si non 23. q. 4. denique capitis damnatos
quoscunque occidere licet. c. Deo occidendis. c. cum homo. & c. homicidi-
dum 23. q. 5.

III.
*De Homi-
cidio.*

nevis. ad leg. Aquil. ubi si servus mortiferè vulneratus ab uno, ab alio occidatur, uterque tenetur.

**XXXVII. An excusat^{ur} qui pro sua, sive hono-
ris defensione hominem oc-
cidit?**

Affirm. quia non minor honoris, quam vita ratione habenda; modo in continentia id factum sit. Nam occiso ex intervallo est prohibita, quia magis ad vindictam, quam honoris defensionem spectat. I. ut vim 3. ff. de Iust. & Iur. L. Gracchus 4. C. de adultr. Geil. lib. 2. obs. 101 n. 5.

**XXXVIII. An oppugnans suam Patriam homi-
cidâ sit pejor?**

Affir. quoniam semper Patriam, Imperator parentibus in I. advo-
cati 14. C. de advocat. I. veluti 2. ff. de justit. jur. preferendam esse voluit.
Ac magis quis astringitur patriæ, quam parenti. I. I. §. & generaliter in
fin. ff. de vent. in possess. mitten. I. postlimium §. filius ff. de capt. & post-
lim rever.

**XXXIX. An pro homicidio pecuniâ satisfie-
ri queat.**

Homicidium culpâ & per negligentiam commissum, pœnâ pecu-
niariâ, puniri potest I. I. ff. de his qui deiec. I. 4. ff. de Cust. reor. Aretin. in 9.
item. n. 4. in fin. Instit. de oblig. qua ex q. delict. Dolo vero factum nullam
meretur excusationem.

**XL. An valeat statutum mandans, homicidium
pœnâ pecuniariâ plechi?**

Non valet. Ratio est: quia homines ad delinquendum & occidendum,
eo invitarentur, non timentes pecuniariam pœnam; nec aliud esset, quam
homines certo prelio venales exponere. Hostiens. in c. 2. n. 2. de delict. pue-
ror. Et sic nullam culpam pertimesceret reus, cum se numis redimere
posset. c. pauper. II. q. 3.

**XLI. An nobiles mitiùs puniantur in criminе
homicidii?**

Aff. per I. 3. §. legis, Cornelia 5. ff. de Sicar. Quia ubi ignobiles de
collantur,

*collaretur, nobiles deportantur; ac citra mortem pœnâ arbitriaria puni-
untur. l. mol.*

**XLII. An lege Cornel. pro sicario damnandus, quia-
nimo occidendi hominem vul-
neraverit.**

*Aff. Quia res ad actum consumationi proximum est deducita. We-
senb. m. ff. de Sicar. n. 16. Nam qui vulneravit, quantum in se fuit, inter-
fecit: unde & delictum pro completo haberi debet l. I. §. Divus Hadria-
nus 3. ff. de Sicar.*

**XLIII. An ei qui se contra vulnerationem defen-
fendere potuit, nec fecit, conceden-
da sit actio?**

*Vix puto, videtur enim talis esse quasi in culpa l. culpa caret 50.
ff. de reg. jur. l. quid ergo 13. ff. de ijs qui not. infam. c. sicut dignum de ho-
miciid.*

**XLIV. An pro defensione rerum invasor
occidi possit?**

*Res & diritia dicuntur secundus sanguis hominis, text. & gl. in
advocati 14. C. de advocat. div. jud. & experuntur ad vita usus necessa-
rios. Indeque ut pro conservando corpore; ita etiam pro tutandis rebus
jura licitam concedunt defensionem l. I. C. unde vi. dd. in l. ut vim 3. ff. de
Luft. & jur. arg. l. I. §. quod vulgo 25. ff. de vi & vi armat.*

**XLV. An astans armatus delicto, dicatur ipsi delicto
opem & auxilium præstare; & utrum eadem
pœnâ puniri possit, quâ
occisor?**

*Farin. lib. 4. de Consult. Auxiliat. & Mandatoribus t. 15. q. 132. hanc
regulam tradit: Astans armatus homicidio, dicitur ipsi delicto cau-
sam proximam dare, & ideo punitur eadem pœnâ qua principa-
lis. Et Socin. conf. 188. dicit, sola presentia cum armis sufficit, ut quis pra-
sumatur auxilium præstare. Bart. in L. unic. C. de crim. peculat. Assisten-
tia delicto dicitur actus proximus ipsi delicto.*

XLVI. Man-

XLVI. Mandavit quis alicui, ut alterum vulneraret tantum, & non occideret; mandatarius vero illum occidit; queritur: Num mandatarius leg. Corn.

pœnâ plectendus, quod limites
mandati transi-
lierit.

Neg. siquidem verum occidendi animum & voluntatem direttam non habuerit l. i. in pr. Divus ff. de Sicar. Dec. cons. 234. & 482. Hypol. de Marfil. con. 7. n. 54. 67. & sing. 176.

XLVII. Plures vulnerarunt aliquem multis vulneribus, ex quibus moritur, nec scitur cuius ictu perierit; an omnes tenebuntur de homicidio?

Neg. Quoniam multitudo delinquens, non debet ordinari pœna, sed mitius puniri. c. 4. v. si vero de Cleric. excom. Et multo sanctius est nocentem absolvere, quam innocentem condemnare, l. absentem s. ff. de pœn.

XLVIII. Occidens, se defendendo, non aggressorem, sed alium, volens occidere suum offendentem, num teneatur leg. Corn. de Sicariis?

Neg. per l. si cum servo 4. ff. de injur. arg. l. non contrahit s. ff. ad leg. Iul. Maj. Nam cum quis se defendit, dat operam rei licita, ideo non videtur teneri, quod sequitur Curt. in repet. l. ut vim 3. ff. de just. & jur. l. is qui aggressorem 2. C. ad leg. Corn. de sic.

XLIX. An consentientes & agentes de homicidio æqualem mereantur pœnam?

Consentientes manifeste, si suum obtulerint consensum, utique puniendi sunt, ut homicida ipsi l. i. ff. de Sicar. l. utrum 6. ff. de parricid. & l. is cuius ope 14. ff. de adult.

L. Dominus servo suo manus amputans, adeoque in ipsis cruciatibus vitam propre relinquere adigens; etiam homicida dicatur?

Homicidium in c. homicidium de pœnit. dicitur humani corporis interemptio. Baldo in l. qua actione 7. § 1. ff. ad leg. Aquil. ex anima, quā anima à corpore separatur. Nibilominus & talis, qui immoderata suo jure utitur erga servum, puta latera persecando, corpus dilaniando, pro homicida condemnatur, & leg. Corn. pœna punitur l. unit. C. de emend. serv. Et enim jure Civilis Dominorum nimia asperitas erga servos, coercita, vitaque ac necis potestas, intuitu humanitatis, sublata est. l. i. ff. de his qui sui vel alieni jur.

L I. An adversarij ictus sit expectandus? vel An miles prævenire, quam præveniri?

Aggressoris ictum nemo expectare tenetur, l. 5. in pr. ff. ad leg. Aquil. l. 4. C. ad leg. Corn. de Sicar. l. i. C. quan. lic. unic. l. ult. C. in quib. caus. in integ. sed videns arma in se stringi, in tempore sibi propicere potest.

L II. Assassinus an dicatur & mandans & mandatarius?

Aff. Quia datā alij pecunia, mediante mandato, alterum occidit. Atque hinc communi interpretatione receptum, ut text. in c. i. de homicid. & ad mandatorem, & ad imperfectorem extendatur Farin. lib. 4. de homicid.

L III. An Assassinum in solum Christianum committatur?

Vt ut aliquibus ita videatur inc. gaudeamus de divort. qui sunt foris, nihil ad nos c. pro humano. §. sacri de homicid. nobis tamen inhumanior illa sententia videtur.

L IV. An Assassinus à quovis impunè occidi possit?

Aff. ex c. i. §. cum igitur in verb. horrenda. & in verb. scelus. de homicid. lib. 6. Deinde, quia est crimen, atrox & enorme: & propterea diffidatus à toto pop. Christiano offendit, & occidi potest. Cyn. in l. reos. C. de accusat.

C

L V. An

LV. An vi petitus possit suum aggressorem impunè occidere?

Se defendere, & defendendo aggressorem occidere, non solum iure fori Alex. in l.8. §.4 ff. de nov. oper. nunc. sed etiam jure poli c. 1. distinct. I. Geil. lib. 1. de p.p.c. 9 n.10. Et quidem in omni loco, etiam privilegio, puta templo. Panor. in c. Clerici, de vit. & honest. Cler. mortem & literas vitare non valens, potest. c. unic. Clem. lib. 5. t. 4.

LVI. An homicidii reus, qui cum alium posse sit, à morte non liberat?

Aff. ex c. sicut dignum §. illi, de homicid. Qui potuit liberare hominem à morte, & non liberavit, eum occidit. c. non inferenda. c. qui potest. ult. 23. q. 3.

LVII. An percussor de occiso teneatut, si vulneratus suā malā curā obierit?

Minimè: Quoniam non ex vulnere lethali mortuus est, sed negligentiā, incuriā, & gubernatione propriā. Quapropter vulnerantem de occiso non teneri ducet l.30. §. ult. ff. ad leg. Aquit.

LVIII. An leg. Corn. poenā digni, qui liberos suos exponunt?

Quod si exponentes dolo malo in locum solitarium abjecerint infantes, ubi inediā consumerentur, mortuā eventu secuto, tenentur, de homicidio. Bart. in l. necare 4. ff. de agn. & alen. lib. Secus si concilianda à prætereuntibus misericordia gratia exponant, quo casu verius est eos extraordinem puniri. l. 4. ff. de agn. & alen. lib. c. fin. 87. dist. Wesenb. in ff. de Sicar. n. 14.

LIX. Meretrix spurium occidens, an viva seperari possit?

Aff. ex Constit. Carol. V. Imp. art. 131. cuius hæc sunt verba: Welche Weiber ihr Kind heimlicher/ boshaftiger/ williger weischtöden/ die werden gewöhnlich lebendig begraben / vnd gepfälset. Aber darin verzweifelung zuverhüten/ mögen dieselben vbelthäterin/in welchem Gericht die bequemlichkeit des Wassers darzu verhanden ist/ ertrankt werden. Wo aber solches vbel oft geschehe / wollen wir die gemeldten gewonheit des begrabens vnd pfälens / vmb mehr

mehr forcht willen / solcher boshaftigen Weiber auch zu lassen/
Oder aber das vor dem Errencken die vbelthaterin mit glienden
Zangen gerissen werd / alles nach Rath der Rechtyerstendigen.

L X. An homicidium casuale, perpetuo sit
excusabile?

Distinguendum est Homicidium voluntarium, à Casuali:
Quia hoc sit præter voluntatem & intentionem committentis; Illud ve-
rò ex proposito, & voluntate l.53. ff. de furt. In Casuali nec dolus, nec cul-
pa ulli intervenit: secund. Bart. in l.8. ff. de pœn. In voluntario hac omnia
occurunt, cuius etiā pœna capitalis est adeoque L. Corn. de Sicar. locum
habet. Gen. 9. Deut. 19. Matth. 26. Illius verò pœna nulla; quia fortuna
& casus, est causa per accidens, agens præter intentionem Arist. 2. Phys.
tex. 53. nec pœna leg. Cor. coerced ut per gl. l.1. Alberic. l.7. ff. ad leg. Corn. de
Sicar. add. §. 4. Inst. de leg. Aquil.

L XI. An Filius Patrem suum ignoranter occidens,
lege Pompeia de parricidio tencatur?

Filiū prætententem non crassam seu supinam, sed probabi-
lem & evidentem ignorantiam, nequaquam teneri de homicidio: vel-
uti in casibus à Carer. in tract. crim. 3. de homicid. & assasim. §. 9. n. 4. 24.
adductis: Quando Pater occiditur aut de nocte, aut in confictu, aut in-
solito vestitu induitus, &c.

L XII. An Filius occidens Patrem ad sui defensio-
nem, sit parricida?

Filius non moderatè, sed atrociter, ferro puta, seu quocunque te-
lo, sine moderamine legitima correctionis, petitus, defendendi sui causa,
Patrem sine Parricidijs pœna expectatione occidere potest. Felin in c. di-
lectifiliq. n. 7. de except. Decian. in tract. crim. lib. 9. c. 15. Harpp. in §. hac
actio n. 51. Inst. de injur. Ayer. in repet. l. ut vim, in rub. de homicid. ne-
cess. part. i. n. 69. ff. de just. & jur. Nam leviter castigandi & corrigendi
potestatem Patri, (ut & Praeceptoris) jura concederunt. arg. l.5. §. 6 ff.
ad leg. Aquil.

I V.
De Par-
ricidio.

LXIII. An Filius possit Patrem proditorem, ut & bannitum impunè occidere?

Affirmat l.35 ff. de relig. & sumpt. fun. Ratio est, quia patria charitas antiquior est charitate parentum fac. l.19. §. filius ff. de capt. & postlim. Et Bannitum impunè occidit filius, prasertim quando Criminis laesa Maj. reus fuerit Bart. per d.l. ut & libertus patronum, Vasallus Domini num suum. Salic. in l. I.C. de his qui parent. vel lib. occid.

LXIV. An Patri licitum sit Filium occidere, in aliquo delicto capitali deprehensum?

Patris potestatem non in atrocitate, sed pietate positam esse, tradit l.5 ff. de parricid. Quare licitoris magis, quam Patris officio fungivelle videri poterit, necando filium, eoque factio, homicidiij reum seipsum constituet.

LXV. Mortem sibi inferens, an majus crimen committat, quam si alium occidat?

Qui alium occidit, corpus tantum ejus occidere dicitur, animam autem, quantum in ipso est, occidere non potest; *Qui* vero seipsum interemit, certe & animam & corpus proprium nefandè perdit. Iodoc. c.88.

LXVI. An cadavera desperatorum propœna suspendi possint?

Ea infurcam tolli, aut sub ea sepeliri, si in reatu fuerint, tradunt Bald. l. 2. n. 2, C. qui test. fac. pos. Dec. n. 8. & 9. ad terrorem scilicet aliorum. Wesenb. in π. Ad leg. Corn. de sicar. n. 7. & nec luctu, nec sepultura honestâ digni judicantur desperantes. Gomez. c. 3. n. 14. Damb. c. 88.

LXVII. An rem duobus divendens, committat crimen Falsi?

Expressa lex 21. ff. deleg. Corn. de fals. ita testatur: qui duobus in solidum eandem rem diversis contractibus vendidit, pœnâ falsi coeteretur.

V.
De Cri-
minis Fal-
si.

69. An

LXIX. An notarius publicus Crimen falsi committat, effingendo callide & dolosè propriâ autoritate alienum chirographum, aut sigillum?

Affir. ex l. 13. 23. & 25 ff. de falsis. præsertim si aliquis per hoc patiatur incommodum, corporis, vite, vel bonorum detrimentum. Et talis punitur multorum ICIorum judicio, amputatione manus. Damb. c. 124. n. 12. defals. script.

LXX. Literas alienas aperiens, an in falsi crimen incidat?

Tetari id potest. ex l. 1. §. is qui aperuerit. 5 ff. de fals. Ei autem affinis videri potest & ille, qui tabellas alicui deferendas suscepit, nec eas fideliter reddit, aut plane non reddidit. l. 36 ff. ad municipal.

LXXI. An vis publica solùm armis committatur? VL

Verum quidem est regulariter armata manu, vim publicam ^{De Vi Pub} committi, t. t. de vi pub. tamen etiam inermes, ut Magistratus, vim face- ^{blica} re possunt l. 7 ff. d. t. Wesenb. de vi pub. n. 3.

LXXII. Legatos, Oratores, comites, Feciales, & Araldo si quis in expeditione pulsaverit, an vim publicam committere videatur?

Aff. ex l. 7. in fin. ff. de vi pub. ibi si quis eorum quem pulsasse, & sive injuriam fecisse, arguetur. & l. ult. ff. de legation. Si quis legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatetur; quia sancti habentur legati, id est, ab omni violentia tuti l. 8 ff. de rer. div. noménque eorum apud omnes nationes sanctum inviolatumque semper fuit. Cæs. lib. 3. bell. Gall. p. 59. Estque legatus, persona publica ad Principem vel Remp. missa, sine imperio, rei dicendæ agendæ que causâ. Ac committit Crimen læsa Maj. qui principis legatum violat. Geil de pign. obs. S. n. 6. A Civitate vero talis violatio facta, ultio nem sustinet, & bello petitur ab eo, cuius legati asperè & crudeliter excepti sunt. Schönb. lib. 3. polit. c. 27. Plura de legato, ejusque officio, scire qui desiderat, videat disputat. politic. De Legato nuper habitam sub præsidio Clariß. atque Excellentiss. viri Dn. M. Matthia Berneggeri, p. t. Magnif. Rec. præceptoris mei perpetua observantia colendi; & Schäuborn. d. lib. a cap. 27. usque ad c. 32.

LXXII. An armorum gestatio omni jure sit
prohibita?

Affirmativam tuetur l. i. ff. de vi pub. l. unic. C. ut armor. usus n.
45. Novel. 85. Pro defensione tamen sui corporis arma gerere lex penult.
d.s. de vi pub. concedit: sed omnis dolus, & animus nocendi, ut penitus
abfit.

LXXIV. An is qui contra singulares prohibitiones
& arma gestat, & iis aliquem invadit & vulnerat, sit
capitaliter damnandus?

Neg. Hyppolit. de Marsil. sup. tit. ff. ad leg. Corn. de Sicar. sub le-
ge si in rixa. Statuto quodam cavetur, ut arma gestans 100. fl. inva-
dens alterum rursus 100. vulnerans aliquem, eadem pœnâ, puniatur.
Quaritur, Num vulnerans teneatur, trium istorum statutorum
mulctam, vulnerato deponere, aut pro eo capitaliter plecti? Min-
ime, sed in pro sola vulneris inflictione, unâ mulctâ multandus est. Quia
violatio duorum statutorum primorum, de gestatione armorum, & de
invasione simul confunduntur, cum violatione tertij statuti, vulneris
seilicet illatione: gl. in verb. plurima l. 9. C. de accusat. arg. l. 6. C. de vi pub.
Bart. in l. 29 ff. ad leg. Aquil.

LXXIV. Rapiens aliquid ex incendio, aut naufra-
gio, an leg. Iul. de vi publica teneatur?

Detestandum est hoc furium, quod maligno animo, destina-
taque malitia & captata occasione peragitur, dum aliqui simulant se
velle adjutorium vicino adferre, interim autem sunt fures nefarii. Et
propterea tales non solum lege Iulia de vi publica teneri: verum etiam
laquei suspendio corripiendos, ut fures, dicemus. Idem ferendum est ju-
dicium de ijs, qui bona ex naufragio eripiunt. l. 1. C. de nauf.

LXXVI. Minans, & struens præparamenta ad in-
cendium, an puniatur ut in-
cendiarius?

Cum tales mina & præparamenta incendi non ad unius do-
mum, sed ad totam communitatem pertineant, quibus etiam pax publi-
ca violatur. Bart. in l. injuriar. n. 1. ff. de injur. Ideo minantis affectus
baud

haud incongruè pro effectu habetur & puniatur Wesenb. in Inst. de vi
pub. n. 5.

LXXVII. An omnis Incendiarius corporaliter
sit puniendus?

Quod si dolo, culpâ latâ, aut negligentia incendiū commissum fue-
rit, tenebitur ex l. 9. l. final. ff. de incend. l. 3. §. II. ff. de offic. præfect. vigil.
alias nulli poena subjicietur.

LXXVIII. An Dominus domus teneatur pro in-
cendio à familia commisso?

Si familia habeatur pro fidelī ac diligentī, & delinquat tamen
in officio per Dominum prescripto, non culpabitur Dominus de incen-
dio, familie negligentia commisso. Marian. Socin. l. II. in pr. ff. locati. l.
27. §. 10. ff. ad leg. Aquil. Sciens autem familiam suam negligentem esse,
de incendio culpa ejus commisso tenebitur. c. si quis de injur. & damn.
dat.

LXXIX. Creditor occupans res debitoris, sine Iudi-
cis autoritate, an lege Iulia de vi priva-
ta teneatur?

VII.
De vi
privata.

Affirmativam nobis suggerit sententiam. l. ult. ff. de vi privat.: Si
Creditor sine auctoritate iudicis res debitoris occupet, hac lege tenetur,
& tertia parte bonorum multatur, & infamis sit. Nov. 6. c. 1.

LXXX. An poena capitalis irroganda, propter
commissum peculatum?

VIII.
De Crimi-
ne Pecu-
latus.

Aff. per l. unic. C. de crim. peculat. Et procedit hoc in eo, cui Prin-
cipis aut Reip. pecunia commissa & qui in adm. nistranda ea, se infide-
lem exhibuit.

LXXXI. Senator committens peculatum, num in-
continenti vel demum post biennalem carceris
mancipationem capitaliter sit
puniendus?

Solutionem questionis huius brevissimam suppeditat l. Senatus
14. ff. de accus. quod nemo duabus poenis sit castigandus; sed unâ: Id ipsum
quoque

quocunque rult l. 5. C. de Custod. reet. De his, inquit, quos tenet carcer inclusos, aperta definitione sancimus, ut aut convictos velox pena subducatur, aut liberandos custodia diuturna non maceret.

LXXXII. An Sacrilegium tempore famis commissum, sit excusabile?

Sacrilegium non animo fraudulenter lucrandi factum, excusatur ut furtum, necessitate famis commissum c. si quis ext. de furt. Insuper & ejusmodi sacrilegos, juventus, atatis vel simplicitatis imperitia excusat. Damh. c. 113. de Sacrileg.

LXXXIII. Sepulchralia diripiens, num puniendus ut Sacrilegus?

Quisquis hoc crimen committit, pro sacrilego habendus, & de Sacrilegio juxta jura puniendus l. 4. & 5. C. de sepul. violat.

IX. De Crimine & laetitiae.
LXXXIV. An legis Fabiae de plagiariis teneatur, qui servo alieno, servave persuaserit ut à Domino dominave fugiat?

Aff. ex l. 6. §. ult. ff. de leg. Fabia. Quamvis anima amissionem non irroget, tamen arbitrijs penis plagiarios onerat. §. ult. Inst. de pub. Iud. Bodinus lib. 6. de rep. c. 6. plagiarios servos ad bestias vult projici, ingenuos securi percuti, aut in metallum damnari; honestioris conditionis personas, relegari. l. ult ff de leg. Fab. de plagiari.

LXXXV. An & is huic criminis dicatur obnoxius, qui servum ancillamve invito Domino celavit?

Aff. per l. 5. l. 14. C. eod. Wesenb. ff. de leg. Fab. n. 2. Multoque magis ille tenebitur, qui fugitivum cum rebus furtivis suscepereit. l. 12. C. eod.

X. De Crimine Ambit. LXXXVI. An officia publica sint ambienda?

Publica officia, quocunque nomine ea insigniuntur, neque precibus, neque premis, neque pecunis mercari convenit, neque amicorum animos intercessionibus solicitare sed committenda ea sunt. ijs, quos Magistratus & optimates civitatum decernerent, eis officiis administrandas esse aptissimos: non autem quos favor humanus, aut sanguinis affectus eligeret dignos. Hodie proh dolor & apud Ecclesiasticos & Seculares paucim peccatur, apud quos plus valent in officiis delegandis, nunc premissa,

missa, quām animi dotes, corporum aut morum commendationes honestissimae. Nec mirum quod infeliciter in Rep. Christiana res ipsa succedit. Et recte itaque hanc ambitionem foventibus, pena statuta est 100. aur. cum infamia. l. unic. ff. de lege Iul. ambitus. C. eod. Et fugientes potius ac recusantes, trahere ad magistratus officia, dignitates, & honores, exemplo Alex. Severi, quām desiderantes, aquum est.

LXXXVII. An & is lege Iulia Ambitus teneatur, qui nova vectigalia instituit?

Nova vectigalia à privato quodam, citra Principis autoritatem uspiam instituta, Rem publicam non beant, sed duriter gravant. Wesenb. Instit. de rer. div. n. 4. Qui autem talia illicita telonia instituerit, is multandus pœnā leg. Iul. de ambitu. l. unic. ff. ad leg. Iul. de ambit. aut aliā pœnā arbitrio Iudicis imponenda. Qua pœnā etiam afficiantur tributorum collectores, seu telonarij, qui ab immunibus & liberis hominibus, puta studiofis, &c. vectigalia, aut ab alijs amplius, quām telonij institutio poscit, exigunt, vid. l. i. ff. de pub. & vectig. l. fin. C. vectig. nov. instit.

LXXXVIII. An verum illud: Officium quisquis ambit, eodem se indignum reddit?

Plato reprehendens severissimè ambientes munia, Omnes, inquit, officijs esse indignos, qui officia ambient. Idipsum pietas & sapientia Christiana quoque probè ponderavit, ne quis ulla officia mercetur, aut pecuniā, vel contractu venetur. Quod Iura Ambitionem vocant, quam multari & damnari jura volunt 100. aur. pro venditore: & pro emptore, vel numeratore damnandam esse infamia publica, & perpetua inhabilitate ad quævis officia publica d. l. unic. ff. de ambit. l. 31. in fin. C. de Episc. & Cleric.

XI.

De Cri-
mine Re
petunda
rum.

LXXXIX. An leg. Iulia repetundarum teneatur, qui in magistratu constitutus accipit pecuniam, ad legendum, vel mittendum militem occulte?

Lex Iulia de Repetundis vetat generatim, ne quis in Magistratu,

D

aut

aut officio publico constitutus, ullam omnino pecuniam accipiat, aut per suos subdole accipere sinat, quod minus, aut magis quid ex officio facias l. 4. ff de repetund. deprehensu itaque in tali facto questuoso subeat pœnam legis 7. de leg. Iul. repet. quia munus publice mandatum, accepta pecunia rumpit. l. ult. ff de leg. Iul. repetund.

X C. An & is hac lege conveniri possit, qui ob denunciandum, vel non denunciandum testimonium, pecuniam acceperit?

Testis proprium est, puram & meram dicere veritatem, quam norit, pro utraque parte c. non sanè 14. q. 5. Constat enim falsidicum testimoniū tribus personis esse obnoxium; D E O scilicet, cuius presentiam contemnit: Judici, quem mentiendo fallit: & Innocenti, quem falso testimonio ledit: & quia tres ladit, triplex ei imponi potest pœna, perjurii, falsi, & homicidii c. periculose. de pœnit. dist. I. ut & pœna legis Iulie repetundar. l. 6. ff de leg. Iul. repetund.

XCI. Iudex barratariam committens, num leg. Iul. repetundar. teneatur?

Iudex pecuniā corruptus. iniquam proferens sententiam, dicitur Barratarius, & barratariam committere; èo quod propter pecuniam barratet. fac. text. in auth. ut Iudic. sine quoque suff. §. illud videlicet Nov. 8. l. 1. 3. & t. t. ff de leg. Iul. repetund.

XCII. An Iudex datur Simoniam per barratariam committere?

Crimen hoc communiter à Dd. gravissimum reputatur, quia Index facit contra Deum, justitiam, contra officiū sui debitum, contra humanam naturam, contra proximum, & sic Deum non timet, nec hominem veretur; ac dicitur talu Injustitia mercator, Diaboli minister, secund. Cyril. Quod autem Simoniam committat, testatur gl. in c. vendentes i. q. 3. fac. text. in c. non sanè 14. q. 5. c. qui recte II. q. 3.

XCIII. An

X C I I I. An barrattarii capitaliter sint puniendi?

Extraordinariè, exilio puta, vel durius vel mitius, secundum delicti qualitatem, puniri vult eos, lex 7. §. 3. ff. de leg. Iul. repetund. secundum gl. tenentur de falso. in l. 3. ff. eod.

X C I V. An æquum sit frumentum vilius divendi, quam annona exigit?

Negat l. ult. ff. de leg. Iul. de annon. Olim duo Aediles à Cœsare constituebantur, qui frumento præfessent, ne illud aliter, quam annona exigeret divenderetur. A Cerere Cereales dicti sunt. l. 2. §. deinde Gaius 32. ff. de orig. jur. Annona verò flagellatores, lege Iul. de annona puniri jubentur.

X C V. An monopolia sint caritatis omnium rerum causa?

Aff. quando penes unum, aut paucos tota alicuius rei vendendæ potestas est, multum detrimenti Reip. adeoque ipsi civibus adfertur, ex quo omnium rerum caritas in Remp. illico irruptat, necesse est. Damh. c. 134. de monop.

X C VI. An jure monopolia civilia sint prohibita?

Affirmat l. unic. C. de monop. Si quis autem monopolium ausus fuerit exercere, bonis proprijs exsoliatus, perpetuitate damnetur exili. Recess. Imp. ab Anno 77. p. 683. & quidem sub pena deportationis; Et in Carol. V. diplomatis ann. 31. & 40. omnia monopolia, & contratu monopoliales, simpliciter prohibentur.

X C VII. An pecuniariâ pœnâ, ejusmodi monopolæ puniantur?

Iura monopolis & propolis pœnam statuunt 20. aur. cum restituitione torius damni, quod Respub. ex eo passa est, l. 2. ff ad leg.

XII.
De Cri-
mine An-
nona.

Iul. de ann. adeò ut ipsos quoque Iudices, qui cum monopolis ad monopolia punienda disimulant, puniendo esse statuerint 40. lib. aur. l. unic. C. de monopolio.

XIII. *XCVIII.* An lege Iulia de Residuis teneatur, qui pecuniam publicam in usus publicos non erogavit, sed eandem retinuit?

De Criminibus Re-
fidiis.
Ad compescenda furtæ Magistratum, lex Iulia de residuis lata est, quâ tenentur, qui pecuniam publicam sibi concreditam, in alios quam oportuit usus, consumperunt l. 2. 4. l. ult. de peculat. & apud quos pecunia publica post annum ab officio exacto residet l. 4. §. lege. l. 10. eod. Et damnantur amplius, tertia parte, quam debent l. 1. ff. ad leg. Iul. pecul. nonnunquam etiam in duplum l. 9. C. de erog. milit.

XCIX. An & legati de pecunia restituenda, in legatione non consumpta, hâc leg. vindicentur?

Legatis à Principe seu Republica aliqua, legativum, id est, sumptus debetur, quò facilius & lubentius commissam sibi legationem, sapissime mortis periculo subjectam suscipiant & perficiant. Et justum est, ut sumptus in legationem erogatos, Princeps restituat l. 2. ff. de legatione. etiam eos, quos ad recuperandam sanitatem suam impenderunt Bart. in l. his qui ff. ex quib. caus. major. & damnum quod in via illis accidit, resarciat. Ne verò nomen Legati sacratus, maculâ quâdam confundetur, convenit ut ipsi legati pecuniam non erogatam probè restituant, sub pena legis 2. ff. de resid. generaliter enim ea loquitur, & omnem includit, qui publicam pecuniam delagatam, in usum aliquem retinuit, neque in eum consumpsit.

C. An in poenis infligendis sit habendus respectus personarum?

Aff. Quia majorem poenam sustinere debet famosa & vilis persona, quam honestior alia l. 2. l. 8. fin. l. 17. ff. de pen. l. 8. C. ad leg.

Iul. de vi pub. l. 6. ff ad leg. Iul. peculat. l. 4.l. ult. ff. de incend. ruin.
l. ult. ff. de sepulch. violat. l. 3. ff. de Crim. stellionat. & alijs pluribus ll.

COROLLARIA.

I.

An major fur censeri possit, qui modicum, quam qui magna furatur? D.

II.

Fur suspensus, rupto laqueo in terram decidens, num liber fiat à pœna mortis? N.

III.

An injuriarum teneatur, dicens alteri, Te sum melior, honestior, nobilior &c.? N.

IV.

Dans damni causam, an damnum dedisse videatur? D.

V.

An damnatus mulieri vel puellæ nuptias ejus postulantis concedendus? N.

VI.

An mulier prægnans debeat dari ultimo suppicio, antequam pepererit? N.

VII.

An meretricibus de vi conquerentib. fides sit habenda? N.

VIII.

An Judex ministrum justitiae seu Carnificem non habens, possit pro exequenda justitia vilem assumere personam? A.

IX.

An alapam impingentem liceat repellere gladio? A.

X.

An capitaliter puniendus, qui poculum Abortionis, Amatorium, Conceptionis, Sterilitatis, Somniferum, vel Sanitatis præbuerit? D.

D 3

An

X I.

An capite sit plectendus Senator, si secreta suæ Civitatis revealaverit? A.

X II.

An bonus eventus in delictis, excusat delinquentem à pœna? D.

X III.

An Sagæ, Lamiæ, Incantatrices, veneficæ sint comburendæ?

Aff.

X IV.

An ira ex justa causa proveniens, delinquentem excusat? A.

X V.

An filius regulariter teneatur pro delicto Patris? N.

X VI.

An senes mitius puniendi? A.

X VII.

An corpora in patibulo, rota, aut furca, sint relinquenda? A

X VIII.

An semper verum illud: Qui non habet in ære, luat in corpore? D.


X IX.

Accusatore non probante, num reus sit absolvendus? D.


X X.


An quoctunque modo, liceat suum sanguinem redimere? A.

F I N I S.



126797







	Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18
	Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18

Farbkarte #13

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color

David.
Centuria
quaestio
num.
18
Argentaria
1623.

Fn
Strassburg.
J.
1623